

Universitätsbibliothek Paderborn

**Spes & Fiducia, Cvris Ivdiciisqve Dei, Erga Homines In Hac
Vita Existentes, Firmata**

Stengel, Georg

[S.I.], 1645

§. 8. Bos datus pauperib[us], illicò co[m]pensatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49823](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-49823)

gratiam Deo relaturus. Vnde factum est , ut
quotquot ibi reperti sunt , noua admiratione
ac stupore corriperentur.

§. VIII.

Bos datus pauperibus, illico compensatur.

Addam hīc domesticum ac simile de boue,
longēq; luculentius exemplum. P. Andreas
Ouyedus , qui anno 1579. sanctissimè vi-
tam finijt in Salembri, à Iulio III. Pontifice
in Patriarcham suffectus, ab vniuersa gente
Goana verè sanctus & vir Apostolicus ha-
bitus, præter ardentissimum zelum anima-
rum, erga pauperes præcipua fuit charitate.
Aliquando ita omnia in illos profuderat, vt
nihil omnium, quod daret, superesset , præ-
ter vnicum adeò bouem, qui ei erat, ad sacra
ornamenta deportanda , pernecessarius , si
quando ex uno loco ad alium erat profi-
cendum. Quia tamen viscera eius pati
non poterant, vt miseros egentes oculis a-
spiceret, eum ipsum clitellarium bouem ma-
ctari jussit, atque in pauperum escam distri-
bui. Adfuit tum illi , qui hæc ipsa postea de
eo est testatus, monuitque: ne jumentum
adeò necessarium occidi fineret. Huic O-
uyedus respondit : *Sine, fili, eum, cædi atq;
distribui: quippe cras manè Deus alium bonum*

S 3 proui-

prouidebit. Vaticinio euentus respondit. Intellexit enim nobilis quidam Patris charitatem pariter ac necessitatem, tantóq; benignissimæ liberalitatis, in pauperrimo Patriarcha, exemplo permotus, ad eum quadraginta boues, pecudésq; alias octoginta, præter alium commeatum, misit; quibus inopinatò auctus, in plures potuit alédos esse liberalis.

§. IX.

Mercatoris in pauperes liberalitas compensata, illiberalitas punita.

Sic Deus submisit, non tantùm homini Religioso, sed etiam omnis generis hominibus extra Religionem decentibus, per Religiosum, festivas epulas. Et quod mirum est, qui ad eum confluebant, non ad dandam, sed ad accipiendam eleemosynam confuerunt videbantur; cum tamen non accipiendo, sed dandi animo venirent, qui non ipsi erant indigentes. Illud etiam illustre est. Complutus erat quidā pius ac copiosus mercator, Matthæus Pontanus, apud quem acceptas eleemosynas Franciscus deponere solebat, ut reciparet, si proximi id indigentia postularet. Quodam diffcili anno, & penuria rerum ingenti pressis hominibus nosocomiōq; infirmis redundante, tantùm à thesaurario suo argenti

In l. 2.
c. 4. vitæ
Francisci
à Puer
I E S V.